

DECRETO DE LA SIGNATURA APOSTÓLICA DE 6.V.1993

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Responsio per generale decretum
ad propositum quaesitum de can. 1673, 3° C.I.C.***

DECRETUM GENERALE

Apud quaedam tribunalia haec praxis invaluit ipse Vicarius iudicialis domicilii partis conventae eam non audit, antequam consensum de quo in can. 1673, 3°, concedat, sed censet satis esse ut ipsa ad rem a Vicario iudiciali domicilii partis actricis audita sit vel audiatur.

Pontificium Consilium de Legum textibus interpretandis —cui quaestio proposita erat— «dopo attenta considerazione della questione, non ha ravvisato in essa alcun vero 'dubium iuris' e quindi la necessità di un'interpretazione della legge, trattandosi piuttosto di retta applicazione della medesima», et proinde litteris 11 Ianuarii 1992 rem huic Signaturae Apostolicae pro competentia transmisit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Attento quod tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet non est forum iure competens ad pertractandam causam nullitatis matrimonii, nisi reapse verificentur conditiones de quibus in can. 1673, 3°, scilicet «dummodo utraque pars in territorio eiusdem Episcoporum Conferentiae degat, et Vicarius iudicialis domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat»;

Perspecto quod:

— iuxta propriam verborum significationem sine ullo dubio in can. 1673, 3°, requiritur ut auditio partis conventae praecedat concessionem consensus ex parte eius Vicarii iudicialis;

— quae auditio peragenda est a Vicario iudiciali domicilii partis conventae ut ipse rite perpendere possit circumstantias casus, antequam consensum, de quo in can. 1673, 3°, praestet vel minus (cf. can. 127, § 3);

* AAS, LXXXV (1993), pp. 969-970.

— id confirmatur ex loco parallelo in can. 1673, 4^o, et congruit cum responsione Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando, diei 28 Februarii 1986 ad can. 1673, 3^o (AAS 78 [1986] 1323), quae responsio difficulter intellexeretur, nisi pars conventa reapse a Vicario iudiciali sui domicilii audienda esset, antequam ipse consensum, de quo in can. 1673, 3^o, praestet;

Considerata quoque declaratione huius Signaturae Apostolicae diei 27 Aprilis 1989, n. 4 (AAS 81 [1989] 893-894);

Viso can. 31, § 1;

Vi art. 124, 1^o, Const. Ap. *Pastor bonus* (cf. can. 1445, § 3, 1^o);

Perpenso voto a Rev.mo Consultore redacto;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Pro-Praefecto die 29 maii 1992 habito;

Audito Pontificio Consilio de Legum Textibus interpretandis (cf. art. 156, Const. Ap. *Pastor bonus* et art. 115, § 5, «Regolamento Generale della Curia Romana»);

Huius declarationis textu ab Em.mis et Exc.mis Patribus Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis in sessione diei 14 Novembris 1992 recognito et approbato (cf. art. 115, § 6, «Regolamento Generale della Curia Romana»)

ad rem declarat

RELATA PRAXIS ADMITTI NEQUIT

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascriptis Pro-Praefecto et Secretario die 6 maii 1993 concessa, decrevit nihil obstare quominus haec declaratio publici iuris fiat, immo eam et approbavit.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 6 Maii 1993.

L. + S.

Gilbertus Agustoni, *Pro-Praefectus*

Zenon Grocholewski, *a Secretis*

In S. Sign. Ap.licae Trib. tab., n. 23192/92 V.T.